## FIGURÆ *ad pag*. 473. 474. FURNUS TERTIUS.

ICON I. Ipsius furni constructio.
AB. Cinerarii latitudo pollicum 10.
AC. Ejusdem altitudo pollicum 6.
EC. Craticulæ crassities pollicis 1.
EI. Altitudo à craticula ad fundum vasis pollicum 8.
I G. Altitudo vasis pollicum duodecim.
L G. Margo vasis, qua furno superne incumbit pollicis 1.
GM. Margo vasis, qua sursum assurgit, pro excipiendo margine vasis in Icon.    & Icon.
EGHF. Interior, elliptico-conoïdes, cavitas furni, distantia focorum 20 pollicum, normali in foco ab axi 5 pollicum.
ICON II. Vas, in quo vel destillatio fit, vel aqua balnei continetur; quod furno Iconis 1. imponitur, id ex ære conficitur. Literæ ut in præcedenti.
ICON III. Operculum æneum, cujus margo PQRS accurate excipi debet margine MOGH vasis Icon. 2. GK.
R. S. Manubria quibus imponitur, vel educitur.
RT. SV. Media operculi pars oblique assurgens, ut exeat in.
TX. VY. Collum cylindricum, pro Alembico excipiendo.
ICON IV. Alembicus è stanno, cujus margo *a b* exacte potest excipi margine XY, atque caput exit in rostrum *c d e*, cujus extremum de ore serpentis refrigeratorio excipi possit.
Si ergo vas GK, accurate clausum operculo PY, clauso accurate Alembico ac in furno est accommodatum, tum fit hoc vase destillatio quælibet per aquam, & Serpentem, ut & destillatio Balsamorum, Terebinthinæ, &c.
ICON V. Vas pro destillatione ex Balneo Mariæ.
*f g m l*. Vas quo excipitur materia Balneo Mariæ destillanda, quod immitti potest intra vas GH, & margo ejus *k l* accurate accommodari potest margini excipienti MO Icon. 2. in superficie marginis est foramen *m*, per quod aqua infundi potest, in vas IK. Icon. 2.
Si ergo vas *f*. *i*. accommodatur margini MO. Ic. 2. tum aqua ebulliens in GK, facit destillationem ex balneo per vas *f i*. Ic. 5. accommodato Alembico *abc*. Ic. 4. intra marginem *hi*. Ic. 5.
ICON. VI. Alembicus ex stanno supra Icon. 4. descriptus. Cujus margo *o p* accurate exceptus margine *h i*. Icon. 5. servit destillationi Alcoholis, dum spiritus Vini communis est in vase *f i*. Icon. 5.